

cesanæ Synodi Sessione, edici et promulgari, omni debita reverentia, instamus et requirimus.

Tunc Secretarius promulgat Decreta. Quibus lectis, Promotores requirunt appellationem omnium qui Synodo interesse tenentur :

Ecclesiasticæ disciplinæ legibus innixi, instamus et petimus omnes qui huic Synodo interesse tenentur nominatim vocari, et contra absentes qui per se, seu per alios, constituto tempore legitime non comparuerunt, prout juris fuerit, agi et procedi.

Tunc Secretarius legit ut in prima Sessione, nomina omnium qui Synodo interesse debent et præsentés ad sua nomina surgunt, et respondent singuli : Adsum.

Absentes vero notantur, et per Pontificem debita pœna mulctantur. Quo facto, Promotores requirunt promulgationem Decreti *de Fine Synodi* :

Cum ea quæ ad restitutionem et conservationem christianæ Disciplinæ in hac Diœcesi, pro hujus temporis ratione, agenda videbantur, Deo auctore et adiutore, confecta sint, nos hujus Synodi Promotores, instamus ac petimus ut huic finem imponere, et jam imponi decernatis.

Tunc Secretarius sequentem supplicationem legit :

Illustrissime ac Reverendissime Domine, placetne vobis ad laudem Dei omnipotentis, hujus Synodi Diœcesanæ finem jam fieri ?

Pontifex respondet :

Placet :

Et adhuc sedens, si velit, Synodum alloquitur, commendat se omnium orationibus, et surgens incipit :

Te Deum laudamus : * te Dominum confitemur.

Te æternum Patrem * omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli, * tibi Cœli, et universæ Potestates,

Tibi Cherubim et Seraphim * incessabili voce proclamant :

Sanctus,

Sanctus.